

Yc  
1606

Q. D. B. V.  
**C O N S V L**  
ET  
**S E N A T V S**  
**C I V I T A T I S**  
**C A M E N T I E N S I S**

Lectoribus Vitam & Felicitatem!

XXXV



ГДБА  
КОНСАЛ  
Т  
ЗУТАИЕ  
CIVITATIS  
ГЕНТИНИСИ  
Логотип Альбома Гентини



A nnus nunc effluxit, ex quo hujatis urbis Campanæ, quam  
Magnæ nomine insignitam scimus, damna perpeſia felici-  
citer, quod est Dei gratia, resarſimus; Sub auspicioſum  
enim præterlapsi anni MDCCXXIX. cum diē XVII. Jan-  
hora VI. vespertina, more conſueto, tribus vicibus, admonitrix  
illa ad preces, pro Pace conſervanda, & alis malis avertendis,  
bonisque confeſendis, ad Deum fundendas, pulsaretur, iniquo  
fato acciderat, ut fiffione quadam ab extremitate ima ferme  
ad ſuperiorem usque facta, inutilis prorsus evaderet ad operam,  
quæ per tria, & quod excurrit, ſecula, in rebus ad cultum di-  
vini pertinentibus, aliisque magni fuit, ulterius praefandam.  
Cumque iphis feriis Michaëli Archangelo multis jam retro ſe-  
culis ſacris, Solennia dedicationis celebrare, quibus Campanam  
illam uſui communi Ecclesiastico, pariter ac Politico, Auspice  
Deo, ſermone ſacro ad religionis cultum & ædificationem com-  
poſito, a Plurimum Reverendo Viro, Dno M. GODDOFREDO  
FELLERO Paſt. Prim. Meritissimo, de Campanarum Vſu Ec-  
clesiastico Politico & Myſtico, erudite admodum habito, initiare  
contigerit, quod ſummu[m] Numen ex quorumvis Bonorum votis  
felix, fauſtum fortunatumque eſſe iuſſit: jam temporis placet,  
priftinam illius campanæ faciem atque memoriam, ipſo Nata-  
lii instantे refricare, refricatamque conſervare. Conſtat autem  
trecentis ac trīginta abhinc annis fuſam, quod dicunt, vel con-  
flatam eſſe, quibus vero Curatoribus, latet; ſiquidem altum hac  
de re in Civitatis noſtræ albo ſilentium: interim tamen tam cer-  
tum, quam quod certiſſimum, illam anno Millesimo quadrin-  
gentesimo factam eſſe, quod quondam incifa verba omni teſte  
exceptione majori comprobant atque conſirmant; id enim lu-  
culenter patuit ex iſcriptione ſub brachiis vel anſis, quas vo-  
cant, pro ſeculi illius more, rudi admodum charactere expreſſa,  
qua[e] huius tenoris fuit: Rex gloriæ, veni cum Pace † cum Pa-  
ce † Anno millesimo quadringentesimo. f. (facta, vel fuſa) Inficias  
quidem non imus, posterius f quibusdam aliam notam videri

& aliud quiddam suggestere atque notare, ut vel numerum, vel aliud quid indicet. Sed cum æra, vel annorum numerus singulis literis expressus fuerit, nec scripturæ compendium in vocabulis: Anno millesimo quadringentesimo factum, merito dubitandum, an hæc ipsa nota numerum indicare debuerit; præterea accuratior contemplatio atque collatio illius cum illorum temporum elementorum figura, ante in medium prolata demonstrant.

Cæterum modo dictis sub verbis Septentrionem versus tres literæ, quæ quantum quidem elementa conjicere sinebant, C. I. B. erant, & artificis nomen significare videbantur; in altera parte ad Meridiem vergente, ora inferior imaginem Servatoris Christi cruci affixi gerebat, cuius sub dextra Mariæ, sub sinistra, Iohannis simulacrum conspiciebatur. Hæc si quis absque superstitionis errore justa animi lance ultiro citioque pensitat, facile intelliget, & Majores ante repurgatam per D. Lutherum Religionem præcipue ad id respexisse, ut hæc ipsa Campana cunctos excitaret, qui sumimum Numen implorarent; ut Rex Gloriæ Iesu Christus totius Mundi Servator in singulos veniat cum pace; quamvis maxime dolendum, nugas superstitionis futileisque simul immixtas. Sic ad abusus Campanarum Baptismum, vimque, quam hujus de causa crepant, plane singulariem & magicam, non injuste recenseas. Vid. Hildebrandi Ritual. Baptismi Veteris p. 52. 53. conf. Hoffmann; in Lexic. univers. adde Carol. du Fresne in Glossar. p. 710. & Durand. in Rationæ. L. 1. cap. 4. alios. Nefandum illum abusum, vel inscriptio ingentis illius Campanæ Erfordiensis, cui Nomen Susanna, exponit, quæ sic fluit:

Laudo Patronos, cano glorioſa  
Fulgur arcens & Daemonas malignos  
Sacra templis, a populo sonanda  
Carmine pulso.

Hinc nec vulgus erubescit ingeminare tritum:  
**Die große Susanna**  
**Treibt die Teuffel von danna.**

Sic Hospinianus L. 4. de Orig. Templ. C. 10. p. 114. memorie prodidit in oppidulo Stæckbori juxta lacum Bodamicum in campana hæc inveniri: colo verum Deum: plebem voco & conGrego Clerum: festa decoro: defunctor ploro: pestem dæmonesque fugo. In pago Loëstern prope Academiam Gießensem inscriptio infusa est.

Est mea vox Bam, Bam, potens repellere Satan.

De his & aliis inscriptionibus consulas Chladni Inventarium Templor. Reposit. 4. Report. I. p. 586.

Vidi



Vidi ego Numburgi quondam in Regione Toringa  
Campanam, de se titulo qua talia magno  
Iactabat: Dicor Maria (in Baptismate Nomen  
Scilicet inditum erat) confringo tonitrua pulsū,  
Pello nociva, fugoque eadem Cacodæmonas omnes.

ita Thomas Neageorgius, alias Kirchmaier Regn. Papist. L. 4.  
Simili ferme ratione magnæ campanæ Annabergensi inscriptum fertur:

Pelle mala, & morbos, contortaque fulmina Pelle,

teste Godofr. Ehrhard. Fesekero von Wunder in der Natur  
P. 25.

Hæc & alia plura satis superque de abusu testantur. Nos meliora edocti: Divini quippe Spiritus Benignitas, Megalandri illius Lutheri ministerio, verbi divini, divinarumque rerum auctoritate & usu in pristinum restituto splendorem, hujus quoque legitimum Vsum, ut aliis, sic & Majoribus nostris largitus est Deus, quo illum in Filio Vnigenito suo Iesu Christo, Rege Gloriæ operosius colentes omnigenam Pacis temporalis, Spiritualiæ & æternæ felicitatem, certitudinem & spem consequerentur. Id ipsum nos huius campanæ nostræ cum inscriptio, tum sonus diligenter admoneret, ut præsertim ad illius pulsum omnis coetus Deum Pacis precibus supplex adiret, qui Pacem largiretur atque concederet. Hac occasione multi esse possemus in disquirendo, quoad liceret: Preces Campanarias, quas dicunt, fundere; sed cum jam alii ampla hac in re spatia fecerint, etiam his supersedeimus. Vid. Calvori Ritual, Ecclesiast. P. 2, sect. 2. c. 4. p. 217. sequ. conf. P. 1. L. 2. f. 2. c. 57. §. 6. p. 618. Thom. Garzon. Piazza Universal. p. 658. sequ. & Chladni Inventar. Templ. Reposit. 3. Report. 1. p. 478. Hoc unicum adduxisse nobis erit satis: etiam nostræ campanæ pulsum omnium corda & linguas ad preces excitasse, ut vulgo Beth-Gloce dici cœperit, quod nomen antiquis jam inde temporibus & ab origine illi commune fuisse, ex supra allata inscriptione colligere, quid obstet, non videmus. Ex hac quoque formula, illuī pulsum campanæ istius, qui ad preces paret excitetque, vocari: Pacem-Schlagen, ortum traxit.

Interim tamè diversis temporibus diversa sunt constituta & pia & salubria, quorum referri potest illud, cum Anno 1680. dilectum Camentium nostrum gravi pestilentia & dira lue confictaretur, ut brevi temporis intervallo mille & quadringenti hominum absumpti sint. Eatempestatis calamitate ternus magnæ campanæ pulsus Matutinus hora VI. Meridianus, hora XII. & Vespertinus hora VI. quotidie repetendus, in edictum addebat, quo universi, adunatis suspiriis precibusque, ut detestabile malum depelleret, Deum implorare incitarentur. Huic accedebat Anno 1706, quo non solum Camentiae nostræ, sed uni-

versæ quoque Patriæ tragicum periculum & exitium Regis Sue-  
corum Caroli XII. cum copiis adventus minitabatur; hinc ex  
instituto & præcepto MAGISTRATVS antequam verbi divini  
Minister e suggesto descenderebat, universus Ecclesiæ cœtus  
in templo, quin & universa urbs domesticis negotiis immo-  
ratus in aedibus flexis genibus ad magnæ campanæ pulsum  
semper orabat atque etiamdum orat:

1. Herr höre mein Wort ic.

2. Vater Unser ic.

3. Herr Gott Vater im Himmel, erbarne dich über uns ic.

Nec Deus nostras aliorumque preces irritas esse sivit, sed nos  
clementer audiens, cui Laus, Honor, & Gloria, liberavit, ulteri-  
usque liberabit. De his aliisque consulas Beati Iohannis  
KITTELII. Memorale Pyrologico-Penitentiale vel Brand-Gedächtnuß  
der Stadt Camenz de Anno 1707. p. 61. sequ. conf. ej. Camenhiſche Denk-  
mahle MSt. & Tit. Dni Consulis GEORGII KVHNELII Analecta  
Cament. MSt. cujus operam, quam Patriæ in digerendis collig-  
endisque Camentianis Annalibus & Chronicis navavit & na-  
vat, vestigia HABERKORNIANA, HILLMANNIANA, KITTELIANA, alio-  
rumque cum Dno M. LESSINGIO Archi-Diac. laudabiliter prementis,  
Camentiae magni æstimationem judicamus. Capitulatum autem  
verum Magnæ Campanæ nostræ usum, tam quod Ecclesiam,  
quam quod Politiam spectat, supra laudatus Dn. M. FELLE-  
RVS 1729. in oratione sacra Dom. 3. p. Epiph. cum Campana  
esset rupta, hoc modo deduxit: Unsere große Glocke war eine  
Rechte Zierde unserer Stadt, und gab die Zusammen-Stimmung  
mit denen andern einen recht angenehmen Klang, sie war unsere An-  
hacht-Buß-und Beth-Glocke, unsere Ehren-Fest u. Freuden-Glocke,  
unsere Trauer-Grabe-und Feuer-Glocke, unsere Raths-Wahl-und  
Jahr-Markt-Glocke ic. At enim vero Vsi nobis fuit, non amplius  
est; contigit enim, ut Anno 1562. quo fulmine turris percussa,  
malleusque, pulsando tintinnabulum horas indicans, fusus & li-  
quefactus est, pari ratione tacta & in altera parte oræ læsa  
videatur Campana nostra, ut taceam, quanto fulminis propinquus  
motu, aliis quoque temporibus imprimis Anno 1726. Feris Iohanni-Baptistæ concusfa fuerit. Donec tandem anno & die supra  
memorato, quo calidam aëris temperiem, quæ præter temporis  
 anni naturam & constitutionem, huc dum duraverat, post ne-  
bulam densam frigus intensius sequebatur, primum fulminis  
tactu dispositione ad fissuram facta, denique vel frigoris acer-  
rimi vehementia, vel vehementissimo pulsus motu, penitus  
rupta inutilis fieret. Erruminatione quidem redintegrationem  
tentavimus; ast successu minus optato, proinde nobis curæ cor-  
di-



dique fuit, quæ iterum fundendo nova confletur; id quod Deo  
moderante Vinholdus Dresdæ haud infeliciter præstitit.

Omnis autem novæ Campanæ habitus talis est: Quatuor  
brachia vel ansæ, quarum singulæ effigie capitis speciem huma-  
ni præ se ferente ornatae, Campanam sic dicta aure affigunt ju-  
go, sub brachiis encarpus, vel florum frondiumque pictus velu-  
ti balteus ambiens conspicendus, quem inter hæc verba cir-  
cum legenda; BONORVM VIAM CVRAT DOMINVS. Ps.  
I. 6. inferiorem oram quoque encarpa, ornamenti gratia, cingunt.  
A fronte versus occidentem vergente, oculis exponit Te-  
tragrammaton illud JEHOVAH charactere Hebraeo excusum,  
quod duo Cherubim gestant, postea hæc sequuntur.

QVAM VSIBVS SACRIS ANNO MCCCC ANTIQVA  
DICABAT PIETAS, QVAM FVLMINE IN ORA OLIM  
TACITAM RELIQLA INTACTAM SERVABAT DEVS:  
QVAM DENIQVE ANNO MDCCXXIX D. 17. JAN. FISSV-  
RA INOPINATA AB ORA AD SVMMVM FERE VSQVE  
EXORTA PLANE INVILEM REDDIDERAT: HANC  
QVANTA QVALISQVE EST, MAGNAM CAMPANAM  
HOC EODEM ANNO M. SEPT. MICHAELIS WEIN-  
HOLDI DRESD. ARTE IN SVMMI DEI GLORIÆ CELE-  
BRANDÆ ET DEVOTIONIS EXCITANDÆ FINEM RE-  
FICIENDAM CVRAVIT AMPLISSIMVS SENATVS CI-  
VITATIS CAMENTIAE.

A tergo in orientem solem spectante iterum angelorum duo  
Tetragrammaton vel essentiale Dei Nomen JEHOVAH inclu-  
sum, manu tenent, his simul additis:

Magistratum tum gerebant.

DNN. IOH. KAVLFVSS CONSVL REG.	} SCABINI
IOH. FRIED. HOEFNER PROCONS.	
THEOPH. LESSING EX-CONS.	
GEORG. KVHNEL PRÆTOR.	
CHRIST. GÖTTLOB LESSING NOT. REIP.	
IOH. FLORIAN SCHVBERT.	
IOH. DAVID ABICHT.	
TOB. NÖSKE.	
CHRIST. EHRENFR. DONAT.	
IOH. GEORG. FOERSTEL.	
IOH. IACOB WAGNER.	} SENATORES
Ministerium Verbi Ornabant.	
DNN. M. GODOFR. FELLER PAST. PRIM.	} CATECH.
M. IOH. GODOFR. LESSING. ARCHIDIAC.	
IOH. CEORG. SCHMIEDER DIAC.	
IOH. GEORG. NEVMANN, CATECH.	

Scholæ Preceptorum Nomina quidem locum invenire non potuerunt, fue-  
runt autem sequentes:

M. CHRISTOPHORVS HÄRTMANNVS. Sch. Rect. Emerit. nunc in Dno. Beatus.  
M. Gottlob LINDNERVS. Ruhland. Luf. ConRect. nunc Rector.

Ye. 1606 Th X 330 4921

M. IOHANNES FRIEDRICH GREGORIVS. Rect. Substit. nunc ConRect.  
IOHANNES HENR. GOESSELIVS. Ottend. Misn. Cant. & Musicorum Dir. Col. III.  
IOHANNES CHRISTOPHORVS SELTENREICH. Cament. Baccal. & Colleg. IV.  
AVGVSTVS MARTINI. Cygn. Misn. Auditor & Colleg. V.

Ad Latus prope Campanam, quam a nocte appellant, Meridiem versus, Servator cruci affixus hoc lemmate repräsentatur: CHRISTVS VIA, VERITAS, VITA, SALVS. Ad septentrionem juxta medium Campanam, Angelus per cœlum volans, manibus gerens: EVANGELIVM ÆTERNVM. super illo autem: MartinVs LVtherVs TheoLogz D. SerVVs ChrlsL

Habes hic Campanæ magnæ prisæ & præsentis faciem, quam superiori anno restituimus. Iam opus est, ut hoc ipso anno jacturam rei Scholastice, quam fecimus, resarciamus. Neque enim Vos fugere poret, CIVES, qui in quagenarium Schola nostra Præceptorem & Rectorem, Virum non minus de Schola nostra Meritisimum, quam de Senectute sua Venerandum, Dnum. M. CHRISTOPHORVM HARTMANNVM ad cœlestia emporia grassantem subsellia scholastica reliquisse. Qua propter nobis incumbit, namque Reipublicæ permultum referit, Successorem confidere. Cumque Vir Praclarissimus Doctissimusque Dnus M. GOTTLLOB LINDNERVS. Non solum Rudolstadii per plurimorum annorum cursum & Iuuentutis Generofissimi Dni Ernesti de Gunderod Præfecti Provincialis Ephorus, & Scholæ Provincialis SubConR. atque Aluminorum Inspector fuerit; sed etiam per XL pene annos Spartam ConRectoris Lycei nostri cum laude sustinuerit, Patres Curia Conscripti, Deo Curante, uno animo consenserunt, ipsum, faxit Dous feliciter! in Beati Hartmanni locum surrogare. Hujus vero Munis Vir Praclare Doctus Dn. M. IOHANNES FRIEDERICVS GREGORIVS CAM. quem quondam Illustrissime prolis Dallwizianæ fidelem Morum Studiorumque Moderatorem; hactenus vero per quatuor fere annos in pulvere Scholastico desudantem, qualem speravimus; pius & industrium Rect. Substit. experti sumus, summi Numinis Divini aspirante gratia præficiatur. Sic utrique & complevimus & fecimus spem melioris fortunæ, quo catenatos labores alacriores suscipiant. Hoc ipso autem non Campanam, ut superiori anno confare studemus ænam, sed certissimi confidimus, fore, ut Pietatis, Scientia, Sapientia, Doctrina, Prudentia, Artis, Dexteritatis, fidelitatis & industria metallis in unum conflatis, omni ære perennior Campana, præstantiori proflus laudis & gloria Nobis & Vobis sono futura sit. Hac spe nititur Curia, Ecclesia, Schola, cuncta Civitas.

Inaugurandi igitur sunt more Majorum recepto, quod Deus bene verat! huic solennitati crastinus dies dicatus est, quo Tit. Dnus. IOHANNES FRIEDERICVS HOEFNERVS Peritus Reipubl. Juris Consultus, Prudens Patriæ Consul & Scholarcha Gravis Viros Doctissimos Dn. M. GOTTLLOB LINNÉRVM. NOVVM RECTOREM & Dn. M. IOHANNEM FRIEDERICVM GREGORIVM, CONRECTOREM iussu & auspicio SENATVS oratione publice renunciaturus Cathedram confendet illosque auctoritate publica muniet. Novus autem Rector cum Conrectore officiorum labores omni Pietatis & observantiaz tessera, Deo Duce & Comite auspiciabuntur. Confluite itaque Cives, Bonarumque literarum Fautores & Amici hora IX. in Auditorium inferius frequentes, ac præsentia vestra Actum hunc solenniorem reddite, Divinam Clementiam implorando, ut Curia, ut Ecclesia, ut Schola, ut Patronis, Fautoribus, & Amicis Scholærum, ut toti denique Civitati supremus Patronus & Evergeta Deus permaneat.

P. P. III. Id. Sept. A. R. S. clo lo ecxxx.

---

C A M E N T I A E  
Stanno Iohannis Gottlobii Hohlfelderii.



D. B. V.  
N S V L  
ET  
A T V S  
VITATIS  
ENTIENSIS

aus Vitam & Felicitatem!

XXXIV

